



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1542

VD16 C 4714

XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35748

PRÆCIPVI.

suo subdita sit, Scimus item, q̄ Ecclesia in hac uita
subiecta sit cruci, & primum post hanc uitam
glorificabitur, Sicut Paulus inquit, Oportet nos
similes fieri imaginis filij Dei, Quare Anabapti-
starum amentiam & diabolicum furorem pror-
sus damnamus & execramur.

Damnamus & Origenistas, qui finxerunt
Diabolis & damnatis finem pœnarum futurum
esse.

XVIII.

De libero arbitrio docent, quod humana uo-
luntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam
ciuilem iusticiam, & deligendas res rationi sub-
iectas. Sed non habet uim sine spiritu sancto, effi-
ciendæ iusticiæ spiritualis, quia Paulus dicit, Ani-
malis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei,
Et Christus dicit, Sine me nihil potestis facere,
Efficitur autem spiritualis iusticia in nobis, cum ad-
iuuamur a spiritu sancto. Porro spiritum sanctum
concipimus, cum uerbo Dei assentimur, ut nos fide
in terroribus consolemur, Sicut Paulus docet cum
ait, Ut promissionem spiritus accipiatis per fidem.
Hæc totidem uerbis dicit Augustinus libro tertio
Hypognosticon.

Esse

ARTICVLI FIDEI

Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum in ijs quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certe peragere, sed tantum in operibus uitæ præsentis, tam bonis, quam malis, Bonis dico, quæ de bono nature oriuntur, id est uelle laborare in agro, uelle manducare & bibere, uelle habere amicum, uelle habere indumenta, uelle fabricare domum, uxorem uelle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum, uelle quidquid bonum ad præsentem pertinet uitam, quæ omnia non sine diuina gubernatione subsistunt, imo ex Deo & per ipsum sunt & esse ceperunt. Malis uero dico, ut est uelle idolum colere, uelle homicidium &c. Hæc Augustini sententia preclare docet quid, libero arbitrio tribuendum sit, & diserte discernit ciuilem disciplinam seu exercitia rationis humane, a spiritibus motibus, uero timore, patientia, constantia, fide, inuocatione, in asperrimis tentationibus inter insidias diaboli, in terroribus peccati. In his certe opus est, regi nos & iuuari a spiritu sancto, Sicut Paulus inquit spiritus adiuuat infirmitatem nostram.

Damnamus Pelagianos, & similes, qui docent

PRÆCIPVI.

cent, quod sine spiritu sancto, solis naturæ uiribus
 posimus Deum super omnia diligere, legem Dei
 facere, quo ad substantiam actuum. Hæc somnia
 ingenue & necessario reprehendimus, obscurant
 enim beneficia Christi, Nam ideo proponitur in
 Euangelio mediator Christus, & promittitur mi-
 sericordia, quia humana natura non potest satis-
 facere legi, Sicut Paulus testatur, cum ait Rom. 8.
 Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Legi
 enim Dei non est subditus, ac ne potest quidē subij-
 ci. Quamquam enim externa opera aliquo mo-
 do potest efficere humana natura per sese, potest
 enim continere manus a furto, a cede, tamen inte-
 riores motus, ut uerum timorem, ueram fiduciam,
 patientiam, castitatem, non potest efficere, nisi spi-
 ritus sanctus gubernet & adiuuet corda nostra.
 Et tamen in hoc loco illud etiam docemus, Dei
 mandatum esse, ut etiam carnales coerceantur
 diligentia rationis & illa ciuili disciplina, sicut
 Paulus inquit, Lex est pedagogus in Christum.
 Item, Lex est iniustis posita.

XIX.

De causa peccati docent, quod tametsi Deus
 creat & conseruat naturam, tamen causa peccati
 est